

Guido Faba

*Anime sue dimidio et
oculorum suorum lumini*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Guido Faba

*Anime sue dimidio et
oculorum suorum lumini*

1226-1228

Anime sue dimidio et oculorum suorum lumini domine M. claritate generis, forma decoris, venustate morum et multa curialitate fulgenti, P. salutem et illud gaudium quod voce vel actu exprimi numquam potest.

Cum ad viridarium vestrum accessi ut poma colligerem affectata, ante pomerium erat custos qui claustra retinens firmitatis, quod dare non consueverat denegavit; sed adpropinquans paulisper, et ecce meum gaudium adimplevi multis temporibus prestolatum. Verum quia non possum de vestra presentia satiari, libenter in absentia de splendore vestre gratie facio mentionem; quia propter eam spiritus nutritur, corpus movetur, et bona spes me retinet semivivum. Sed quis posset dicere, ubi deficit animus cogitare? Quanta sit dulcedo suavitatis vestre persone ac inestimabilis pulcritudo, in quantum valet, humanus referat intellectus; certe non existimo quod Deus ita pretiosam fecerit creaturam. Nam capilli gloriosi vestri capitis rutilant sicut aurum, coma est multum curialis et plana, oculi quoque claritatis vestre solis radiis comparantur, facies est rosea et serena, labia vero sicut aromata redolent pretiosa, dentes sunt quasi eburnei, et gula candida. Pectus nivis albedinem superat, et quod in sinu conditur, duo sunt pomula paradisi: iuxta locum est delectatio ineffabilis et habentur solatia inaudita. Infra non licet descendere, ubi per felicem unionem nectar mellis dulcedini adunatur, et fit ibi tranquillitas et elementa omnia sociantur.

. Respiciat itaque vestra dominatio, quam super omnes viventes amo toto dilectionis ardore, et mihi servo suo gratiam conservet prestatam, et benivolentiam tribuat salutarem, sine qua nec letus esse possum nec vivere in hoc mundo.